

diu sterilis fecundaretur verbo, rigaretur et exemplo et frugum incrementa referret, estate media movit inde et transiit in Calabriam et in valle Gratis venit augusto. Et primo quidem a metropoli civitate, que dignitate simul et situ prima sedet in valle, ducens omnimodis declinandum, sive quia semper in causis est, ut non ab re Cosentia quasi Causentia sit vocata, sive quia illo spiritu ducebatur, qui nequaquam in commotione sentitur⁵⁾, qui Jesum^{a)} expulit in desertum⁶⁾ et semper in montibus desertisque locis alta misteria et profunda consilia^{b)} sua patribus revelavit, descendit per orientales urbis partes in Gratem fluvium per locum, qui dicitur Guarassanum⁷⁾, volens tunc abscondere se a suis et transire latenter. Sed ibidem commeantis quem miserat ad colligendas ficus furto tenti necessitate compulsus homini pro re licet modica supplicare, agnitus est a transeunte quodam homine Celicense. Interrogatus ab illo, an esset prænominati viri⁸⁾ filius, nec mentiri voluit nec valuit occultari. Confessus itaque veritatem deprecatus est hominem, ut taceret et nemini faceret de se verbum. Et ille: „inhumane“ inquit „et crudeliter agerem, si celarem patrem et fratres tuos, qui quotidie pro te velut pro amisso et mortuo ingemiscunt“. Igitur „et si non possum“ ait Ioachim „aliter transire, mecum oro venias inventurus certum^{c)} locum, ad quem patrem solum nemine percipiente perducas“. Ierunt^{d)} simul et ipse inter fruteta non procul latitans a casali Celico eius patria misit ad patrem. Qui veniens et intuitus filium letus quidem de vita filii, sed de proposita paupertate tristatus huiuscemodi eum verbis agreditur: „Heccine hec est“ inquit „de te, fili^{e)}“, nostra expectatio? Propterea te feci literis instrui et locum in curia regia tibi procuravi? Ego et omnes tui parentes putabamus, quod per te deberet magnificari divitiis et honoribus exaltari domus nostra, nobilitari genus et manus extolli. Quid est hoc ergo, quod facis? Quare factus es ut vir vagus et nos ab expectatione nostra penitus confudisti?“ Huiuscemodi verbis usus pater admirationem pariter et dolorem cordis sui super subito visa filii deiectione digessit. At ille, sicut doctus a Domino erat, nihil his motus verbis e contra potentioribus et per se respondit obiectis et pro electa dilectaque superni servitute principis allegavit: „Tu duxisti me ad regiam curiam,

a) Jesus *Hs.*, *B.* b) concilia *Hs.* c) certumque *Hs.*, *B.* d) Hi erunt *Hs.*, Hierunt *B.* e) filii *Hs.*, *B.*

⁵⁾ Vgl. 3. Reg. 19, 11.

⁶⁾ *Marc.* 1, 12.

⁷⁾ *S. o. S.* 484 *Anm.* 56.

⁸⁾ *Der Name von Joachims Vater muß demnach im Anfang der Vita genannt gewesen sein.*